



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

LIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

LI.

GELASIUS, natione Afer, ex patre Valerio, sedit annis 4. mens. 8. diebus 18. Hic inuenit Manichæos in vrbe, quos in exilium deportari præcepit, & eorum codices incendio concremari, & in Synodo cum fletu sub satisfactione libelli purgatum Mesenum Episcopum reuocauit, & suæ Ecclesiæ restituit. Iterum venit relatio de Græcia quod à Petro & Achatio multa mala & homicidia fierent. Quo tempore fugiens Ioannes Alexandrinus Catholicus Episcopus venit Romam. Quem B. Gelasius cum gloria suscepit, & ei secundam sedem præbuit, factaq; Synodo misit per tractum Orientis, & iterum damnauit in perpetuum Petrum & Achatium, si non sub satisfactione libelli postularent pœnitentiam. Fecit etiam sacramentorum præfationes & orationes cauto sermone. Qui sepultus est in B. Petri basilica 11. Kalend. Decemb. Et cessauit Episcopatus dies 7.

LII.

ANASTASIUS, natione Romanus, ex patre Petro de regione quinta Caput tauri, sedit anno 1. mensibus 11. diebus 24. Hic propterea quia communicauit cuidam diacono Thessalonicensi nomine Photino, qui communis erat Acatio sine consilio Episcoporum, presbyterorum, vel clericorum Ecclesiæ Catholicæ, suspenderunt se ab eius communione. Qui etiam, cum voluisset Achatium occultè reuocare, & non potuisset, nutu diuino percussus sepultus est in basilica B. Petri Apostoli, 13. Calend. Decemb. Et cessauit Episcopatus dies 4.

LIII.

SYMMACHUS, natione Sardus, ex patre Fortunato, sedit annis 15. mensibus 7. diebus 27. Hic sub intentione ordinatus est vna die cū Laurentio, & Symmachus quidē in basilica Cōstantiniana, Laurentius in basilica S. Mariæ. Ex qua causa separatus est clerus, & diuisus est Senatus. Et facta intentione vtraq; pars cōstituit, vt ambo ordinati ad iudicium Regis Theodorici Rauennā pergerent. Quod dum factum fuisset, iudicauit Rex, vt qui primus ordinatus fuisset, vel cui maxima pars consentiret, ipse teneret sedem Apostolicam. Vnde factus Præsul Symmachus est, & constituit Laurentium in Nucerinam ciuitatem Episcopum intuitu misericordiæ. Post annos yerò quatuor zelo ducti aliqui ex clero, &

ex Sena-

ex Senatu, maximè Festus & Probinus, accusauerunt eundem Papam apud Theodoricum crimine pessimo, & subornauerunt falsos testes, quos miserunt Rauennam, & interim occultè reuocauerunt Laurentium. Diuisus quoque est iterum clerus. Tunc accusatores Symmachi miserunt ad regem, vt daret visitatorem sedis Apostolicæ. Quod factum est, & dedit Petrum Altinæ ciuitatis Episcopum, quod canones prohibent. Vnde prædictus Papa congregauit Episcopos 115. & facta Synodo purgatur à falso crimine: & damnatur Petrus Altinus inuasor sedis Apostolicæ, & Laurentius Nucerinus pro eo, quod viuente Episcopo peruaserunt sedem eius. nam Symmachus à suis omnibus in sedem suam cum gloria restituitur. Quapropter indignati Festus & Probinus intra urbem cœperunt pugnare, maximè contra Faustum exconsulem, & omnes, qui communicabant Symmacho, quandoquidem gladio occidebantur clerici, sanctimoniales & virgines, quas de monasteriis extrahebant nudas. Solus autem Faustus exconsul pro Ecclesia pugnabat. Post hæc omnia idem Papa inuenit Manichæos in vrbe, quorum libros incendit, & eos exilio relegauit. Hic omni anno per Africam vel Sardiniam ad Episcopos, qui exilio erant retrusi, pecunias & vestes ministrabat, & captiuos per diuersas prouincias redemit. Qui etiam sepultus est in basilica B. Petri Apostoli confessor 14. Kalend. Aug. Et cessauit Episcopatus dies 7.

LIV.

HORMISDA, natione Campanus, ex patre Iusto, de ciuitate Frisinone, sedit annis 9. dies 17. Hic ex constituto Synodi, & cum consilio regis Theodorici direxit ad Græcias, humanitatem ostendens sedi Apostolicæ, quia Græci obligati erant sub vinculo anathematis propter Petrum Alexandrinum & Achatium Constantinopolitanum sub Ioanne Episcopo, legatos mittens Ennodium Episcopum Ticinensem, & Fortunatum Episcopum Catinensem, & Venantium presbyterum vrbis Romæ, & Vitalem Diaconum, & Hilarum notarium, ad Anastasium Augustum, qui nihil egerunt. propterea quia ipse in hæresin Eutychianam communicauerat. Item secundo misit Ennodium, & Peregrinum Episcopum Mesenensem, quos dum voluisset Anastasius pecunia corrumpere, nullatenus consenserunt, nisi satisfactionem sedis Apostolicæ operaretur. Tunc imperator repletus furia eiecit eos per posterulam, & imposuit in nauim periculosam, præcipiens Heliodoro & Deme-